

## LAURENTII VALLAE OPUSCULA TRIA.

Von dem w. M. J. Vahlen.

## III.

(Vgl. Sitzungsberichte, Jänner- und Märzheft des Jahrganges 1869, Bd. LXI.)

## I.

ORATIO CLARISSIMI VIRI D. LAURENTII | VALLAE  
HABITA IN PRINCIPIO SUI STUDII | DIE XVIII. OCTOBRIS MCCCLV<sup>1</sup>).

Non ignoro, venerandi patres ac viri clarissimi, eunctos fere, qui ex hoc loco anniversariam de studiis auspicandis orationem habuerunt, fecisse, ut laudes <sup>2</sup>) scientiarum liberaliumque artium referrent et in hoc tamquam latissimo campo pro sua quisque facultate vagarentur et velut equos quosdam atque quadrigas eloquentiae exercerent. Quos equidem probo magnopere ac laudo. Quid enim est aut convenientius quam doctrinas laudare, quae nos laudabiles redundunt, et scientiis suum honorem habere, quae nos honoratos efficiunt, aut utilius honestiusque quam per hanc ipsam disciplinarum laudem animos hominum ad eas capessendas erigere atque excitare?

Mihi tamen aliam quandam ingrediendam arbitror viam; ne destrita et pervagata et iam quasi fastidium moventia vobis inculcare videar, aliquid potius novi dicendum et id potissimum, quod a nemine ut reor antehac dictum sit, quod etsi non sua magnitudine <sup>3</sup>), quamquam non minus magnum quam novum erit, certe ipsa novitate aures erigat et sibi audientiam faciat, cum praesertim non minus pertineat ad hodiernum munus oratoris quam illa disciplinarum laudatio.

<sup>1</sup>) Laurentii Vallae in principio sui studii die 18 octobris 1455 *m. rec. sup. ser. L(aurentianus)*. Oratio Laurentii Vallensis initio sui studii *R(iccardianus)*      <sup>2</sup>) laude *LRM(arciānus)*, de laude *R m. 2*      <sup>3</sup>) suam magnitudinem *LRM*